Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 691
Quelle:
Copyright:

pi palleum I. Pro filio regis pall. I. Valtefrit comitis palleum I. Hactenus *Indiculus*, quem ad Ecclesiam aliquam *Brixianam* arbitror pertinere. Sedit enim ibi ab an. 947. *Antonius*, ut tradit ad hunc Annum *Sigonius L. VI. de Regno Ital. Ceterum Berengarius cum Ecclesias distribueret, Josepho Brixiæ Episcopo spectatæ probitatis viro sede sua remoto Antonium, nullo Episcoporum consilio adhibito, novo exemplo substituit. Berengarium* hunc II. una cum filio *Adalberto*, quem per *Filium Regis* intelligo, Regem Italiae dictum omnia sacra profanaque miscuisse, testis est idem *Sigonius* L. *eod. ad an.* 953. *Agapitum Pontificem, Episcopos, Abbates Comitesque Italiæ in ordinem cogere, vexare, atque omni demum injuriarum genere incessere institit, ita, ut neque fortunis atque dignitati ullius parceret, verum apud omnes insignis avaritiæ atque superbiæ exempla relinqueret. Sigonio* consentit *Jac. Malvecius* in *Chronico Brixiano Distinct.* VI. c. 9. in *Muratorii Scriptt. Ital.* T. XIV. *col.* 867. *Ob quantas ille ruinas Italis attulit! Populos tyrannica oppressione vexabat: nulla sibi pacis forma placebat, alebat odia, guerras excitabat, nullus ei justitiæ amor erat* &c. Quam pronum, ut in hujusmodi calamitatibus Ecclesia *Brixiana* vel ad placandos *Berengarii* exactores, vel ad avertenda graviora partem sui ornatus obpignerare debuerit. Accedit, Codicem nostrum e *Veneta* ditione ad nos demigrasse. Invenio enim praeter duos *Francisci Petrarchae* versus:

Huc celer ad fontem deserta per arida pergat,
Quisquis eget lacrimis, quibus impia crimina tergat,

Confessionibus S. *Augustini* subscriptum: *Liber mei Fantini dandulo de venetijs.* Atque ut de celebri isthoc Possessore, quem neque apud *Fabricium*, nec apud *Jöcherum* reperias, aliquid addam, Patritius *Venetus* fuit, an. 1445. ab *Eugenio* IV. *Cretae* Archiepiscopus constitutus, indeque post mortem *Petri Donati* ad *Patavinas* insulas translatus, quo in munere 1459. diem clausit. Vitam ejus dedit *Job. de Augustinis Scriptt. Venetor.* T. I. p. 1. Praeter *Sermones* nondum impressos reliquit *Compendium pro Catholice fidei instructione*, quod subin typis goth. f. l. et a. 4. editum *Jac. Visser* in *Naamlyst van Boeken Amst.* 1767. p. 62. *Mathiae Goes* typographo *Antverp.* adjudicat, sed *J. Bened. Mittarellus* in *Append. Biblioth. San — Michael. Venet.* 1779. *col.* 134. f. verius *Reynaldo de Novimagio* tribuit, ex cujus officina *Veneta* unacum *Bartholomaei de Chaimis Confessionali* annum 1486. aperte praeferente prodiit, a quo tamen divelli facile potest.